Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26400
Copyright: Admont, Benediktinerstift

loco speculari bonos et malos maxime tamen
hoc sine aliqua dubitacione credimus cum ad
opus diuinum assistimus. Ideo semper metuamus
sicut ait propha. Seruite domino in timore
et iterum. Psallite sapienter et in conspectu angelorum
psallam tibi. Ergo consideremus qualiter in conspectu
diuinitatis et angelorum eius nos oportet esse
et sic stemus ad psallendum ut mens nostra concordet
voci nostre. De reuencia orationis Cap. 20m

Si cum hominibus potentibus volumus aliquid
suggere non presumimus nisi cum humilitate
et reuerencia quanto magis deo omnipotenti
cum omni humilitate et puritatis deuocione
supplicandum est. Et non in multiloquio sed in
puritate cordis et compunccione lacrimarum nos exau-
diri sciamus. Et ideo breuis et pura debet esse
oratio nisi forte ex affectu inspiracionis diuine
gracie prolongetur. In conuentu autem omnino breuietur
oratio. Et facto signo a priore omnis pariter surgat.
De decanis monasterii Cap. 21m

Si maior fuerit congregacio eligantur de
ipsis fratribus boni consilii et boni testimo-
nii et sancte conuersacionis et constituant decanos
sollicitudinem gerant super decanias suas in
omnibus secundum mandatum dei et preceptum abbatis
sui. Qui decani tales eligantur in quibus abbas
securus partiatur onera sua et non eligantur